DE

HERMOCRATE SYRACUSANO

LIBERTATIS VINDICE.

SCRIPSIT

C. VAN OSENBRUGGEN,
PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCTOR.

HAGAE COMITUM,
APUD MARTINUM NIJHOFF.
MDCCCLXII.

DE

HERMOCRATE SYRACUSANO

LIBERTATIS VINDICE.

SCRIPSIT

C. VAN OSENBRUGGEN,
PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCTOR.

HAGAE COMITUM,
APUD MARTINUM NIJHOFF.
MDCCCLXII.

VIRO DOCTISSIMO

CASPARO BAX

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCTORI

LAETUM DIEM

QUO

PUBLICO DOCENDI MUNERE IN GYMNASIO HAGANO

PER ANNOS XLVI GESTO

OTIUM ADIPISCITUR VIRTUTE PARTUM

GRATULATUR

C. VAN OSENBRUGGEN

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCTOR.

KALENDIS SEPTEMBRIBUS ANNI MDCCCLXII.

Quamquam omnes qui Te cognoverunt strenue vigilantem pro commodis juventutis cujus studia regebas, intelligerent Gymnasium Haganum Te carere non posse et Tuis consiliis, quibus Scholae nostrae veterem laudem non conservarunt tantum sed superarunt, hoc tamen in votis erat ut aliquando frui posses otio, quo virtus Tua fecerat ut dignissimus judicarere.

Itaque quum significares Te reliqua vita uti velle ad studia repetenda quae non intermiseras sed muneris negotiis districtus ita colueras ut Tu Tibi ipse non satisfaceres, ceteri admirarentur laboriosam vitam eius qui nihil actum putaret si quid superesset agendum, consilium publicum hujus civitatis censuit Tibi annos nato septuaginta concedendum esse id quod rogares et decretum

factum est honorificentissimis verbis perscriptum quo universa civitas declarabat quantum deberet Tibi, quo duce et auspice ante hos annos viginti quattuor ex veteribus Scholis Latinis factum est Gymnasium, quod mox omnibus exemplo fuit quod imitarentur.

Tu otium consecutus es quod rogaras, verum senatores nostri pietatis officio satisfacere se posse negabant: discipulorum enim esse significare quanti Te semper fecissent.

Paulo post quum rogarer ut una cum veteribus discipulis curarem ne festus hic dies indecore praeteriret, hoc est sine luculenta significatione pietatis et amoris, feci quod debui et obsecutus sum voluntati eorum qui me rogabant ut nomen profiterer inter eos qui Te ignorare nolunt quanti semper Te et Tuam egregiam institutionem et lenem sapientiam fecerint.

Feci hoc lubens, nam intelligebam gratam Tibi fore recordationem illius temporis quum ad optima quaeque informares animos illorum, quorum nunc jam multi sunt meritis conspicui

et honoribus actis insignes, sed mihimet ipse non satisfacere videbar.

Nam quod Te praeceptorem olim habui glorior, sed, etiamsi ne tunc quidem me latere potuerit quanta esset Tua praestantia, melius tamen Te cognovi et amare didici ex quo tempore Te inspiciente et moderante pueros elementa utriusque linguae hic docere coeperim.

Cognovi Te semper prudentem, quum animi insito candori obsequi poteras lenem, severum quum debebas.

Omnes putabant Gymnasium Haganum sine Te esse non posse et in omnibus rebus lubenter Tuis consiliis et admonitionibus utebamur, quo neminem habebamus in rebus gravioribus sapientiorem.

In docenda juventute norunt omnes quam alacriter versarere et equidem putare solebam me tunc demum officio recte fungi si vires intenderem ut ad Tuum exemplum quam proxime accederem.

*

Qui Te olim audiverunt, cum admiratione accipiunt Te ea aetate, qua apud plerosque mentis acies et alacritas hebescere incipit, ad hunc usque diem eodem ardore semper obiisse difficillima muneris officia, ita ut praeter Te nemo dignus reperiatur qui in Tuum locum succedat.

Venient ad Te hodie veteres discipuli vota nuncupaturi ut quam diutissime frui Tibi liceat otio, quod Tibi gratulantur.

Recordabuntur illius temporis quo non morosus magister sed gravitate illa Tua, quam amabant, quia mira suavitate condita erat, Graecorum Romanorumque volumina interpretabare.

Multi dicent quantum Tibi debeant. Quid mirum me quoque dicere?

Equidem semper Te ut patrem veneratus sum; dilexi praeceptoris doctrinam, collegae comitatem, amici animum paternum.

Itaque in studiis Te potissimum ducem sequebar; tunc

demum me aliquid profecisse sentiebam quum Tibi meam rationem probassem.

Ne hoc quidem reticebo quod a praesenti opportunitate alienum videri poterit aliis, non mihi: Te mihi semper auctorem fuisse omnis rei paulo gravioris, ut nihil susciperem nisi Te advocato.

Prosperis rebus meis gaudebas et nihil quod meum esset a Te alienum putabas; in adversis rebus neminem habebam quocum libentius sermones consererem ut tristem et prostratum animum attollerem atque erigerem.

Tot sunt igitur Tua in me beneficia ut ne longa quidem vita sufficere mihi videatur ad gratias referendas.

Displiceant haec Tuae modestiae, quae fecit ut semper declinares laudem publice pronuntiatam: non miror in tali viro qui a Livio didicerit veram gloriam illum habere, qui vanam spreverit, sed velim ignoscas me ingenii Tui rationem neglexisse et dixisse quod gratus animus postulet.

Quod igitur ad Te mitto, tamquam animi mei erga Te testimonium, id velim sic accipias me cum in hoc argumento tum in aliis quibusvis Te potissimum ante oculos habere et in omni re neminem nosse quem magis suspiciam.

Sis diu felix, Venerande Senex, et senectute ingravescente hoc velim Tibi persuasum sit non interitura quae tamquam semina animis puerorum inseveris.

Nihil esse existimo jucundius post vitam bene actam quam conscientiam perpetuo permanere quidquid boni pulchrique docueris.

Nihil restat quam ut enixe rogem ut idem in posterum esse velis quem semper cognoverim, hoc est in varia vitae fortuna, strenuum et fidelem.

Equidem donec spiritum ducam non desinam praedicare quae debeam optimo praeceptori, optimo collegae, optimo amico.

DE

HERMOCRATE SYRACUSANO

LIBERTATIS VINDICE.



De Hermocrate Syracusano, Hermonis filio, viro patriae amantissimo, qui a Thucydide (VI, 72, 2) *ἀνὴρ καὶ ἐς τἄλλα ξύνεσιν οὐδενὸς λειπόμενος καὶ κατὰ τὸν πόλεμον ἐμπειρίᾳ τε ἱκανὸς γενόμενος καὶ ἀνδρείᾳ ἐπιφανής* laudatur, quaedam memoratu digna conscripturo pauca praemonenda mihi videntur de conditione Siciliae tempore celebratae illius expeditionis, quae fuit in caussis ut Atheniensium opes frangerentur. (1)

Quae quo melius intelligantur, ulterius in ea quae expeditionem antecesserunt erit inquirendum. Attamen ne res justo longius repetatur, initium faciendum videtur a Gelonis tyrannide (491—476).

De Cyclopibus, Laestrygonibus, veteribus Siciliae incolis non nisi poetarum famâ constat (2).

(1) Liv. XXVIII, 41, 17 (in oratione Fabii). "Athenienses, prudentissima civitas, "bello domi relicto, auctore aeque inpigro ac nobili juvene magna classe in Siciliam "tramissa, una pugna navali florentem rempublicam suam in perpetuum adflixerunt."

(2) Praecipuus locus de vetustissimis Siciliae incolis est Thucyd. VI, 2—5. Cf. Poppo T. I, P. II, p. 497—541.

Iis temporibus, quae scriptorum auctoritate historicorum merentur nomen, memorantur Sicani sive Siculi ([3]) Graecis *Σικελοί* dicti, qui ex Italia vel fortasse e Gallia oriundi a finitimis sede pulsi in Siciliam demigrarunt, cujus partem quae vergit ad septentrionem ac mediam tenebant. Secuti sunt Cretenses, qui eam insulae partem quae meridiem spectat nacti circa Agrigenti fines, Minoae *οἰκισταί* fuisse dicuntur: tum Elymi, Trojâ profugi, a quibus Eryx atque Egesta urbes conditae esse traduntur, quorum uterque populus elapso aliquo tempore cum Siculis in unum coaluisse videtur.

Ὤικουν δὲ καὶ Φοίνικες περὶ πᾶσαν μὲν τὴν Σικελίαν, ut ait Thucydides (Lib. VI, 2, 5) *ἄκρας τε ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ ἀπολαβόντες καὶ τὰ ἐπικείμενα νησίδια ἐμπορίας ἕνεκεν τῆς πρὸς τοὺς Σικελούς.* Procedente autem tempore Phoenices Graecorum coloniis cedere coacti Motya, Soloente ac Panormo fuerunt circumscripti.

Ἑλλήνων δὲ πρῶτοι Χαλκιδῆς ἐξ Εὐβοίας (Thuc. VI, 3, 1.) *πλεύσαντες μετὰ Θουκλέους οἰκιστοῦ Νάξον ᾤκισαν* (a. 736 a. Chr. n.).

Chalcidensibus successerunt Megarenses aliique Dores, a quibus Messana, Syracusae (735), Catana ac Leontini (730), Megara Hybla (726), Gela (688), Selinus (626), Agrigentum (580) aliae ortae esse creduntur ([4]).

Syracusis, Gelae, Agrigenti nec non in aliis Dorum coloniis initio summam imperii fuisse penes *οἰκιστάς* eorumque posteros verisimile est,

---

[3]) Secundum Forbigeri opinionem Sicani sive Siculi Celtarum genti annumerandi sunt. Vid. Pauly Real. Encycl. in v. *Sicilia.*

[4]) De Graecorum coloniis in Siciliam deductis vid. Hermann. Lehrb. d. Griech. Staatsalterth. § 83 seqq.

advenis a republica exclusis. Quorum causam amplexus Phalaris (5) (565—549) Agrigenti tyrannidem occupavit. Ejusdem civitatis tyrannus memoratur Theron (488—472). Geloni nomen etiam majus fuit Gelae, in Agrigenti metropoli. Hippocrates (498—491), ibi litibus optimates inter et plebem compositis, rerum potitus dolo et fraude civitatibus Chalcidensium subactis, Syracusanos ad Helorum pulsos ut Camarinae imperio desisterent coegit.

Qui quum post septem annorum regnum in oppugnatione Hyblae occubuisset, optimates, tyrannide abrogata, res ad se trahebant. Gelo vero praefectus equitum, militum animis sibi conciliatis optimatibusque fractis, cum in urbe Gela tum in agris circumjacentibus imperio potitus est.

Syracusarum plebes, proelio ad Helorum facto, viros nobiles sive Geomoros urbe expulit, quo facto exsules a Gelone petierunt, ut se reduceret. Qui quum exercitum Syracusis admovisset, plebe ipsa flagitante (6), ut reipublicae praeesset, proelio quum destitisset, Syracusas sedem imperii transtulit eoque multos divites Gela, Camarina Catanaque deduxit. Ipsam urbem amplificatam ita aedificiis magnisque operibus ornavit, ut splendoris et opulentiae solus propemodum auctor haberetur.

Illo regnante Syracusanorum respublica adeo potentia crevit, ut in posterum omnes civitates auctoritate antecelleret et opibus una omnium maxime valeret.

Gelonis autem imperium non Syracusarum moenibus contentum verum

(5) De ejus aetate vid. Grote, Hist. of Greece, IV, ch. 37 et R. Bentleius in Dissertat. Epist. Phalarid.

(6) Herodot. VII, 155, vid. Grote, Hist. of Gr. vol. V, ch. 43, p. 214 n.

majorem insulae partem complectens omnium et Graecorum et Siculorum potentiam longe superabat. *Τοιούτῳ μὲν τρόπῳ*, ut ait Herodotus, (VII, 156) *τύραννος ἐγεγόνεε μέγας ὁ Γέλων.* Unde factum est, ut, quum Graeci anno 481 a Xerxe Persarum rege bello peterentur, cum Lacedaemonii tum Athenienses ad Gelonem mitterent, qui ut sibi esset auxilio contra Persas peterent. E quorum legatorum oratione quantis copiis Gelon uteretur apparuit. (7)

Gelonem pollicitum esse se missurum auxilia, hac una conditione, ut copiis omnibus praeesset, qua conditione rejecta, legatos re infecta discessisse, narrat Herodotus Lib VII cap 161—163.

Eodem anno quo Xerxes in Graeciam invasit, Carthagenienses in Gelonis dicionem incursionem fecere.

Utrum Xerxes et Carthaginienses consilia sua communicarint, nunc non disputo, sed hoc constat fuisse quaedam quae efficerent ut Gelonis imperium specie magis quam re firmum esset. Nonnullae enim Siciliae urbes Carthaginiensibus favebant.

Geloni anno post proelium ad Himeram factum mortuo successit Hiero rebus terra marique gestis clarus et litterarum amore omnibus notus. Bello post mortem Hieronis exorto inter Thrasybulum fratrem hujus et Gelonis filium, cujus belli participes fuerunt aliae Siciliae civitates, post duodeviginti annos finis tyrannidi est impositus.

Unde facies rerum adeo est mutata in Sicilia, ut ubique fere res populo restituerentur (8), quae libertatis conditio permansit usque ad Dionysii tyrannidem (a. 405).

(7) Herodot. VII, 117. Cf. Timaeum ap. Polybium XII, 26b.

(8) Diodor. Sic. XI, 68 *τὰς δὲ ἄλλας πολιτείας τυραννουμένας ἢ φρουρὰς ἐχούσας*

Etiamsi autem in Sicilia, tyrannis exactis, multa novarentur, status rerum tamen non conferri poterat cum Athenarum conditione Clisthenis tempore. Hic enim ob gentium cognationem omnia in mutanda imperii forma rite procedebant, illic diversae originis (9) incolae congregati in unam eandemque civitatem coalescebant, quae res ut brevi quinquaginta annorum spatio perficeretur Graecorum auctoritati videbatur esse tribuenda.

Cum in ceteris civitatibus tum Syracusis quum principes viri rerum potiri conarentur, populus Syracusanus *πεταλισμόν* (10) instituit, cujus ipsa severitas fuit causa ut brevi post aboleretur.

Illud tamen petalismus effecit, ut, republica rerum gestarum gloria ac splendore crescente, non amplius tyrannorum fieret mentio. Graecis autem in tota insula subigenda occupatis soli resistebant Siculi, qui quum Ducetio duce per breve temporis spatium vicissent tandem devicti Syracusanorum imperio parere sunt coacti.

Itaque Agrigentinis Syracusanorum potentiae aemulis superatis, Sy-

---

ἐλευθερώσαντες, ἀποκατέστησαν ταῖς πόλεσι τὰς δημοκρατίας. ἀπὸ δὲ τούτων τῶν χρόνων εἰρήνην ἔχουσα, πολλὴν ἐπίδοσιν ἔλαβε πρὸς εὐδαιμονίαν, καὶ διεφύλαξε τὴν δημοκρατίαν ἔτη σχεδὸν ἑξήκοντα, μέχρι τῆς Διονυσίου τυραννίδος.

(9) Alcibiades in oratione, quam Athenis in concione habuerit, (Thucyd. VI, 17) de Siciliae incolis ita disserit: *„ὄχλοις τε γὰρ ξυμμίκτοις πολυανδροῦσιν αἱ πόλεις καὶ „ῥᾳδίας ἔχουσι τῶν πολιτειῶν τὰς μεταβολὰς καὶ ἐπιδοχάς. καὶ οὐδεὶς δι' αὐτὸ ὡς „περὶ οἰκείας πατρίδος οὔτε τὰ περὶ τὸ σῶμα ὅπλοις ἐξήρτυται οὔτε τὰ ἐν τῇ χώρᾳ „νομίμοις κατασκευαῖς·....... καὶ οὐκ εἰκὸς τὸν τοιοῦτον ὅμιλον οὔτε λόγου μιᾷ „γνώμῃ ἀκροᾶσθαι οὔτε ἐς τὰ ἔργα κοινῶς τρέπεσθαι·...... βαρβάρους τε γὰρ „πολλοὺς ἕξομεν οἳ Συρακοσίων μίσει ξυνεπιθήσονται αὐτοῖς."*

(10) Diodor. Sic. XI, 86, 87.

racusani pedestribus copiis ac navibus (11) aucti reliquis insulae civitatibus imperare coeperunt.

Bello Peloponnesio incipiente Siciliae urbes a Graecis seu Dorum seu Ionum originis conditae opibus, libertate et vitae cultu florebant iis neque intermixti rebus, quae tum in ipsa Graecia agebantur.

Attamen non ita putabant Graecorum agitationes nihil ad se pertinere, ut aut Atheniensium aut Lacedaemoniorum partes non sequerentur, licet neque foedera ulla exstarent neque auxilii vel inploratae vel praestatae expresse fieret mentio.

Quo tempore Corinthii et Corcyraei dissidebant, Dores in Sicilia cognationis vinculo juncti Corinthiis favebant. Athenienses contra insula Corcyraeorum, a quorum partibus stabant, utebantur (12) unde Lacedaemoniorum officerent consiliis.

Primo belli Peloponnesii anno Lacedaemonii in Atticam invasuri, sociis in iisque Dorum in Sicilia civitatibus navibus imperatis, (13) edixerunt ne Athenienses arcerent ne speciem belli praeberent.

---

(11) Diodor. Sic. XII, 30. *ἐπὶ δὲ τούτων Συρακούσιοι, διὰ τὰς προειρημένας εὐημερίας, ἑκατὸν μὲν τριήρεις ἐναυπηγήσαντο, τὸν δὲ τῶν ἱππέων ἀριθμὸν ἐποίησαν διπλάσιον. ἐπεμελήθησαν δὲ καὶ τῆς πεζικῆς δυνάμεως, καὶ χρημάτων παρασκευὰς ἐποιοῦντο, φόρους ἁδροτέρους τοῖς ὑποτεταγμένοις Σικελοῖς ἐπιτιθέντες. ταῦτα δ' ἔπραττον διανοούμενοι πᾶσαν Σικελίαν ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον κατακτήσεσθαι.*

(12) Thuc. I, 36, 2. *τῆς τε γὰρ Ἰταλίας καὶ Σικελίας καλῶς παράπλου κεῖται, ὥστε μήτε ἐκεῖθεν ναυτικὸν ἐᾶσαι Πελοποννησίοις ἐπελθεῖν τό τε ἐνθένδε πρὸς τἀκεῖ παραπέμψαι, καὶ ἐς τἆλλα ξυμφορώτατόν ἐστι.*

(13) Thuc. II, 7, 2. *καὶ Λακεδαιμονίοις μὲν πρὸς ταῖς αὐτοῦ ὑπαρχούσαις ἐξ Ἰταλίας καὶ Σικελίας τοῖς τἀκείνων ἑλομένοις ναῦς ἐτάχθησαν ποιεῖσθαι κατὰ μέγεθος τῶν πόλεων, ὡς ἐς τὸν πάντα ἀριθμὸν πεντακοσίων νεῶν ἐσομένων, καὶ ἀργύριον ῥητὸν ἑτοιμάζειν, τά τ' ἄλλα ἡσυχάζοντας καὶ Ἀθηναίους δεχομένους μιᾷ νηὶ ἕως*

Quae auxilia imperata etiamsi Syracusanorum socordia praestata non fuerint, non praestata documento esse possunt Lacedaemonios et Dores in Sicilia societatis vinculo fuisse conjunctos.

Itaque accidere potuit, ut Hermocrates, quindecim annorum spatio interjecto, in oratione, quam in conventu Gelae habuit, (de qua infra videbimus) de civium ignavia quereretur, quod Lacedaemonios auxilio destituissent [14]. Thucydide enim auctore in memorandis Doribus Syracusanorum sociis, Dores Italiae et Siciliae ipsos non militasse constat [15].

Quod auxilii ferendi consilium si in Jonum Siciliae coloniis atque Athenis innotuit, vix dubitari potest, quin Atheniensium animos a Doribus inprimisque a Syracusanis abalienaverit.

Opibus autem, quas Syracusani fortuna belli acquisiverunt, utebantur ad civitates Jonicas sibi subjiciendas. Quae quum Doribus adversariis essent impares, Atheniensium opem implorarunt, ut se ab illis defenderent.

Quod omnes metuebant accidit. Anno 427 Jonum coloniae obsidione pressae a Syracusanis legatos Athenas miserunt, qui dicerent, nisi primo quoque tempore auxilia mitterentur, metuendum esse ne Jones a Doribus opprimerentur. Gorgias Leontinus, quo oratore Sicilia glo-

---

ἂν ταῦτα παρασκευασθῇ. Locus, ut vulgo circumfertur, intelligi nequit propter *Λακεδαιμονίοις* et *ἐτάχθησαν.* Nec quidquam auxilii affertur interpretationibus Arnoldi, Popponis, Goelleri. Unus Cobetus verum vidit, quum (Mnemos. VII, pag. 138. seq.) legendum proponeret *Λακεδαιμόνιοι μὲν — ναῦς ἐπετετάχεσαν ποιεῖσθαι.*

(14) Thuc. VI, 34, 4. *ὃ δὲ μάλιστα ἐγώ τε νομίζω ἐπίκαιρον, ὑμεῖς τε διὰ τὸ ξύνηθες ἥσυχον ἥκιστ᾽ ἂν ὀξέως πείθοισθε ὅμως εἰρήσεται.*

(15) Thuc. III, 86, 3. *ξύμμαχοι δὲ τοῖς μὲν Συρακοσίοις ἦσαν πλὴν Καμαριναίων αἱ ἄλλαι Δωρίδες πόλεις, αἵπερ καὶ πρὸς τὴν Λακεδαιμονίων τὸ πρῶτον ἀρχομένου τοῦ πολέμου ξυμμαχίαν ἐτάχθησαν, οὐ μέντοι ξυνεπολέ ησάν γε.*

riabatur Athenis pro Jonibus verba fecit, eoque perduxit Athenienses in Sicilia dominari cupientes, ut auxilia mittenda esse decernerent (a. 426). Laches et Charoeades cum classe viginti navium missi, ([16]) Messana in suas partes adducta multisque urbibus sibi conciliatis, ob exiguum navium numerum re infecta Rhegium redierunt ([17]).

Legati insequenti anno iterum missi classem 40 navium impetrarunt ([18]), cui Eurymedon et Sophocles praeerant. Qui quum in Corcyra insula morati essent, cum Messana tum aliae urbes in hostium venerunt potestatem. At omnes cum Dores tum Jones, quum fama perlata esset de adventu Atheniensium, clade a Lacedaemoniis ad Pylum accepta, intelligentes quantum sibi periculum ab Atheniensibus instaret, Gelam convenerunt (a 424), ut de pace inter se facienda inirent consilia ([19]).

Multis in utramque partem sententiis dictis, aliis jurgantibus, aliis injurias sibi illatas querentibus, Hermocrates, praecipuus conventus auctor hujusmodi habuit orationem. ([20]).

„Neque infimae civitatis, Sicilienses, civis neque quae maxime

---

([16]) Thuc. III, 86, 1.

([17]) Thuc. IV, 25, 13. *καὶ τροπαῖον στήσαντες ἀνεχώρησαν ἐς τὸ Ῥήγιον. μετὰ δὲ τοῦτο οἱ μὲν ἐν τῇ Σικελίᾳ Ἕλληνες ἄνευ τῶν Ἀθηναίων κατὰ γῆν ἐστράτευον ἐπ᾽ ἀλλήλους.*

([18]) Thuc. III, 115.

([19]) Thuc. IV, 58.

([20]) Thuc. IV, 59—64. Polybius XII, 25 (scilicet in Excerptis Vaticanis, de quibus nuper Cobetus, Mnemos XI, I, p. 1—47) et 26, p. 524 et 525 ed. Didot. carpit et ridet orationem, quam Hermocrates habet apud Timaeum. Vid. Grote Hist. of Gr. vol. VII, p. 138, n. 2. In Hermocratis orationibus Latine tradendis sequor versionem Thucydidis editioni a G. A. Koch paratae (Lipsiae 1845) subjunctam. Si quid notandum habebo, deinceps, allatis Thucydidis verbis, adscribam.

″ cladibus belli sit debilitata, verba faciam, verum in universum [21] ″ sententiam, quae mihi videtur optima universae Siciliae, expositurus.

″ Ac de difficultatibus, quae cum bello sunt conjunctae, quis multis ″ verbis enumerando apud probe scientes utatur? Neque enim quis- ″ quam quasi re incognita ad id suscipiendum adigitur, neque metu, ″ si qua potiundi spes affulsit, absterretur.

″ Aliis autem emolumenta videntur majora periculis, alii pericula ″ subire cupiunt, priusquam in praesentiarum detrimentum aliquod acci- ″ piant. Haec autem ipsa si utrique non opportuno tempore [22] ″ faciant, adhortationes, quae id efficiant ut bellum componatur, utiles ″ esse solent. ″

″ Quod et nobis in praesentiarum, si modo aurem praebere velimus, ″ operae pretium foret. Nostras enim ipsorum res quum quisque velle-

---

([21]) Thuc. I. 59, 1. *ἐς κοινὸν τὴν γνώμην ἀποφαινόμενος.* Demosth. de F. L. § 156. *πάντα τὰ πράγματα ἐν εἰρήνῃ καὶ σπονδαῖς ᾕρει καὶ διῴκεῖθ᾽ ὁ Φίλιππος, π··λλὰ λέγοντος ἐμοῦ καὶ θρυλοῦντος ἀεί, τὸ μὲν πρῶτον ὡς ἂν εἰς κοινὸν γνώμην ἀποφαινομένου, μετὰ ταῦτα δ᾽ ὡς ἀγνοοῦντας διδάσκοντος, τελευτῶντος δὲ ὡς ἂν πρὸς πεπρακότας αὐτοὺς καὶ ἀνοσιωτάτους ἀνθρώπους οὐδὲν ὑποστελλομένου.*

([22]) C. 59, 3. *καιρῷ.* Variant editores inter *καιρῷ* et *ἐν καιρῷ.* Utroque modo dicitur pro: *opportuno tempore.* Sine praepositione occurrit Soph. Oed. Tyr. vs. 1516. *πάντα γὰρ καιρῷ καλά.* Eadem significatione additur praepositio. Idem obtinet in *καιρὸν* et *εἰς καιρόν.* Vid. Viger. p. 596, n. 2. V. D. Arnold (Thuc. ed. 1857) in annotatione ad Thuc. II, 40, 2. in Periclis verbis *πλούτῳ τε ἔργου μᾶλλον καιρῷ ἢ λόγου κόμπῳ χρώμεθα*, dubitat, num *ἐ* ante *καιρῷ* addendum sit. Non opus est praepositione, sensus enim hujus loci est: *divitiis magis utimur ut rem opportuon tempore perficiamus quam ut verbis gloriemur.* Opponuntur, consentiente Dobraeo, (Advers. vol. I, p. 50). *ἔργου καιρῷ* et *λόγου κόμπῳ*, ut cap. 41 prope initium *λόγων κόμπος* et *ἔργων ἀλήθεια.* Quid valeant *ἐν καιρῷ τινι εἶναι* et *γενέσθαι*, quibus lubenter utitur Xenophon, docet nos Cobetus Mnemos VI, p. 293.

„lemus (23) recte constituere, primo bellum gessimus, et nunc altercando in gratiam redire conamur; atque adeo, si non contigerit cuique ut id quod aequum sibi videatur tulerit, rursus bellabimus.

„Attamen statuamus oportet non tantum de rebus privatis, siquid sanae mentis est in nobis, hunc conventum fore, verum si qua ratione totam Siciliam, quae insidiis petitur, ut mea fert sententia, ab Atheniensibus adhuc salvam praestare possimus; nec non ut persuasum sit nobis Athenienses multo magis valere quam haec mea verba ut pacem inter nos colamus (24), qui cum sint potentissimi Graecorum, nostra errata studiose observant, quum paucis navibus (25) adsint et specioso sociorum nomine insitum odium facile (26) in sua commoda vertunt.

---

(23) C. 59, 4. *βουλευόμενοι.* Pro quo legendum censeo *βουλόμενοι.* Ejusdem sententiae esse video Doct. H. van Herwerden, Exercit. Crit. p. 149 (1862). Saepe confunduntur in Codd. Mss. *βούλομαι* et *βουλεύομαι* (vid. Cob. Mnemos VI, 354), ita ut contextus indicare debeat, utrum sit optandum, quod h. l. dubium esse nequit. (Vid. Mnemos XI, P. I, p. 39.)

(24) C. 60, 1. *διαλλακτὰς πολὺ τῶν ἐμῶν λόγων ἀναγκαιοτέρους Ἀθηναίους νομίσαι.* Simili modo P. Decius, tribunus militum, quum ab A. Cornelio consule exercitus in iniquum locum deductus in magno discrimine versaretur, occupato colle super id jugum, in quo Samnites consederant, ab hostibus circumsessus, in oratione qua milites ad erumpendum adhortatur: „in eo enim loco," ait, „res sunt nostrae, ut vobis ego magis necessitatis vestrae index quam consilii auctor sim." (Liv. VII, 35, 7.)

(25) C. 60, 1. *ὀλίγαις ναυσὶ παρόντες.* Vid. Grote Hist. of Greece, vol. VII, p. 138, not. 1.

(26) C. 60, 1. *ὀνόματι ἐννόμῳ ξυμμαχίας — εὐπρεπῶς κ. τ. λ.* Quum de *sociorum titulo legitimo*, quasi de magistratibus, hic sermo esse nequeat, malim *ὀνόματι εὐλόγῳ* sc: *specioso sociorum nomine.* Pro *εὐπρεπῶς* malim *εὐτρεπῶς* vel, quod praefero, *εὐπετῶς.*

„Nam si nos bellum movemus et accersimus illos, viros (27) qui „et eos qui non imploraverint auxilium (28) ipsi bello lacessunt, dum „nobis ipsi nostris praesidiis non alienis mala inferimus, et simul „aditum ad imperium iis aperimus (29), verisimile est, quum noverint „nos debilitatos esse (30), fore ut huc advecti majori apparatu conentur „omnia sibi subjicere.

„Enimvero, si prudenter agimus, oportet quemque nostrum potius „aliena in nostram dicionem redigentes quam nostris ipsorum (31) rebus

---

(27) C. 60, 2. *αὐτούς, ἄνδρας.* Vulgo *αὖ τούς.* De hoc genere appositionis vid. Dobraeum, Advers. vol. I, p. 66.

(28) C. 60, 2. *τοὺς μὴ ἐπικαλουμένους αὐτοὶ ἐπιστρατεύουσι.* Sunt qui legant *τοῖς μὴ ἐπικαλουμένοις*, vel etiam qui alium sensum verbo tribuant, si jungas cum dativo, alium si cum accusativo. Sufficiant verba Valckenaerii (ad Euripid. Hippol. vs. 525) dicentis: „sive autem scribatur *οὓς*, seu *οἷς ἐπιστρατεύσῃ*, nihil in-„terest, cum utroque modo verbum Euripidi ceterisque scriptoribus construatur: Vid. „Duker. in Thucyd. p. 272, et notata in Euripid. Phoen. vs. 292.„

(29) C. 60, 2. *τῆς ἀρχῆς ἅμα προκοπτόντων ἐκείνοις.* Recte metaphora in hoc verbo explicatur ab Arnoldo in annotatione ad. h. l. Significat enim caedendo munire viam alicui. Sensu intransitivo occurrit Xenoph. Hist. Gr. VII, 1, 6, *Λακεδαιμόνιοι ὑμῖν ἐπολέμουν ποτὲ πολλὰ ἔτη, καὶ κρατοῦντες τῆς χώρας οὐδὲν προὔκοπτον εἰς τὸ ἀπολέσαι ὑμᾶς.* et Magist. Equit. VI, 5. *πάντα γὰρ ταῦτα προκόπτει τι εἰς τὸ μὴ καταφρονεῖσθαι.* Bene comparatur locus Thucyd. IV, 47, 3. *μαστιγοφόροι τε παριόντες ἐπετάχυνον τῆς ὁδοῦ τοὺς σχολαίτερον προϊόντας.* (Vulgo legitur *προσιόντας*, cui procul dubio *προϊόντας* est praeferendum). Scholiastes eodem modo intelligit: *τὸ δὲ „προκοπτόντων,„ προοδοποιούντων καὶ εὐτρεπιζόντων, ἤγουν προκοπὴν καὶ ἐπίδοσιν ποιούντων ἡμῶν τῆς ἀρχῆς ἐκείνων.*

(30) C. 60, 2. *τετρυχωμένους.* Cobetus in Variis Lectionibus (Mnemos V, p. 100) suspicatur h. l. nec non. Thuc. VII, 28, 3. *τετρυμένους* et *τετρυμένοι* praeferenda esse formis *τετρυχωμένους* et *τετρυχωμένοι.*

(31) C. 61, 1. *τὰ ἑτοῖμα.* Recte Dukerus monet Thucydidem *τὰ ἑτοῖμα*, *sua* opponere *τοῖς μὴ προσήκουσι*, *alienis*, et percommode comparat locum Thuc. I, 70, 4. „*οἴονται γὰρ οἱ μὲν τῇ ἀπουσίᾳ ἄν τι κτᾶσθαι, ὑμεῖς δὲ τῷ ἐπελθεῖν καὶ τὰ ἑτοῖμα ἂν βλάψαι.*„

„ damnum inferentes socios nobis adsciscere et pericula periculis augere, „ nec non judicare discordia maximopere dilabi civitates et Siciliam, cujus „ quippe incolae universi insidiis petimur, urbibus inter se dissidentibus.

„ Quae quum reputamus, oportet ut singuli cives civibus, civitas „ civitati reconcilietur atque nos unanimo consensu conemur servare „ universam Siciliam; neque quisquam inducat sibi in animum, quasi „ si qui nostrum Dores sunt, hostes sint Atheniensium, Chalcidenses „ contra ob Jonum cognationem tuti: non enim quia gentes sunt „ originis diversae, odio bello petunt alteram (32), sed cupidine opum „ Siciliae, quas universi possidemus.

„ Hoc manifestum nunc reddiderunt in Chalcidensium evocatione (33).

---

(32) C. 61, 3. *οὐ γὰρ τοῖς ἔθνεσιν, ὅτι δίχα πέφυκε, τοῦ ἑτέρου ἔχθει ἐπίασιν.* De hac constructione a Thucydidis editoribus multum disputatum est, multumque interesse aiunt, ubi commata ponas. Est ex earum numero, quae more Thucydideo magis ex antecedentibus intelligantur quam verborum perspicuitate pateant. Is mihi videtur esse sensus: Athenienses non alteram Siciliae gentem, quae est diversae originis (Dores) bello persequuntur, verum causa belli est, quod totam insulam in suam dicionem redigere cupiunt.

(33) De prima occasione, qua Athenienses se rebus Siciliae immiscuerunt, cf. Thuc. III, 86. Qui ibi vocantur „ *οἱ τῶν Λεοντίνων ξύμμαχοι,* „ sunt Rhegini, quibus foedus erat cum Atheniensibus. Exstat fragmentum foederis Athenienses inter et Rheginos in Boeckhii Corp. Inscript. nº. 74. Quo de foedere Boeckhius nos haec docet: „ Etenim vetus inter Rheginos et Athenienses amicitia fuit, ex qua illi Olymp. 88, 2. „ ad Athenienses legatos miserunt: qua de re Thuc. III, 86. qui postquam Rheginos „ dixit propter cognationem *Socios Leontinorum* fuisse, pergit: *ἐς οὖν τὰς Ἀθήνας* „ *πέμψαντες οἱ τῶν Λεοντίνων ξύμμαχοι κατά τε παλαιὰν ξυμμαχίαν καὶ ὅτι* „ *Ἴωνες ἦσαν, πείθουσι τοὺς Ἀθηναίους πέμψαι σφίσι ναῦς*: et mox naves missae „ Rhegium appulerunt; cf. eundem VI, 50, 51. Illa autem vetus amicitia hoc decreto „ Olymp. 86, 4. facto instauratur, et ad certam formulam adigitur. Hinc vs. 1, fortasse „ *ἀνανεοῦσθα*]ι supplendum est, praesertim quum non *ξυμμαχίαν* sequatur, sed *τὴν* „ *ξυμμαχίαν*, ut de re jam definita. „

„Iis enim, qui numquam sibi ex societatis jure auxilium tule-
„runt (34), ipsi foederis jus libentius praestiterunt (35).

„Atque Atheniensibus quidem, quod haec agitant animoque mo-
„liuntur magnam veniam habeo, neque iis qui imperare cupiunt suc-
„censeo, verum iis, qui nimis sunt ad imperata facienda parati (36).

„Ita enim homo natura comparatus est, ut semper velit imperare
„ei qui cedit, cavere autem ab eo qui invadit. Quotquot autem nostrum
„horum scientes non diligenter providemus, — et si quis alius huc con-
„venit qui ne illud quidem intelligat nihil nostra magis interesse quam
„ut commune periculum omnium evitemus, — versamur in errore.

„Intra brevissimum autem temporis spatium hoc (metu) liberati esse

---

(34) C. 61, 4. *τοῖς γὰρ οὐδεπώποτε — προσβοηθήσασιν.* Similiter Thuc. VI, 13, sub finem *καὶ τὸ λοιπὸν ξυμμάχους μὴ ποιεῖσθαι, ὥσπερ εἰώθαμεν, οἷς κακῶς μὲν πράξασιν ἀμυνοῦμεν, ὠφελείας δ᾽ αὐτοὶ δεηθέντες οὐ τευξόμεθα.* (Arn.)

(35) C. 61, 4. *αὐτοὶ τὸ δίκαιον μᾶλλον τῆς ξυνθήκης προθύμως παρέσχοντο.* Sequor Porti versionem. Dobraeus (Advers. vol. I, p. 66) carpit Hudsonum *μᾶλλον* cum *προθύμως* jungentem, idque recte. Ipse conjungit *μᾶλλον ἢ τὰ τῆς ξυνθήκης*, atque ita vertit: „rather in the spirit of an ally than according to the letter „of a treaty." Verum ita vertendo sensum loci non assecutus esse mihi videtur. Adverbium *μᾶλλον*, secundum Arnoldum, totam regit sententiam, ut sensus sit: „nec accipientes nec quaerentes auxilium a Chalcidensibus, ipsi omnia foederis beneficia in eos „contulerunt." Sibi ipsis foederis beneficiis omissis, libentius omnia jura sociis donarunt. Quod attinet ad verborum collocationem Arn. comparat. Thuc. IV, 68, 5. *ἀσφάλεια δὲ αὐτοῖς μᾶλλον ἐγίγνετο τῆς ἀνοίξεως.* Cf. Schol.

(36) C. 61, 5. *ἑτοιμοτέροις οὖσι.* Mirum videri potest Bauerum comparativum ita accipere, quasi idem valeret ac „*ἀλλὰ μέμφομαι μᾶλλον τοῖς ἑτοίμοις οὖσιν ὑπακούειν,*" eumque comparasse locum Thuc. II, 40, 2. Attamen nec probo priorem Arnoldi interpretandi rationem, resolventis in: *ἑτοίμοις ὑπακούειν μᾶλλον ἢ ἀναστῆναι.* Simplex atque vera est altera Arnoldi interpretatio „*ἑτοιμοτέροις τοῦ δέοντος,*" quam in vertendo secutus sum.

„possemus, si ad concordiam rediremus. Non enim ex sua ipsorum „regione nobis bellum inferunt, sed eorum qui auxilium implorarunt; „atque ita non bellum bello, verum pace discordiae cessabunt sine „negotio, et qui vocati specioso titulo injuriam illaturi venerunt pru- „denti ratione re infecta abibunt.

„Atque tantum bonum contra Athenienses comparatur nobis bene „decernentibus. Pacem autem, quam omnes consentiunt optimam esse, „oportet sane inter non ipsos fieri.

„Nonne putatis, si cui res secundae adsunt, vel si cui adversae, „pacem potius quam bellum his finem imposituram hoc autem con- „servaturam, et pacem praestare honores et splendorem minori periculo, „nec non alia de quibus multis verbis quis possit disserere? (37)

„Quae vos spectantes oportet non contemnere mea verba, sed multo „magis providere vestrae ipsorum saluti.

„Quodsi quis aut jure aut viribus nisus putet se firmo consilio „aliquid effecturum, ne, quum spe frustretur, aegre ferat (38), dum „intelligat et plures jam qui volunt ulcisci injuriam inferentes, et „alios sperantes fore ut potentia quadam aliquid acquirant, illos non

---

(37) C. 62, 1. ὥσπερ περὶ τοῦ πολεμεῖν. Haec verba, quae nullam vim Hermocratis sententiae addunt, suspecta mihi videntur. Hinc igitur profectus Timaeus facit Hermocratem dicentem quae Thucydides scilicet omiserat et inserit ineptam declamationem in laudem pacis, quam Polybius haud immerito exagitat.

(38) C. 62, 2. μὴ χαλεπῶς σφαλλέσθω. Goellerus ex Scholiastae interpretatione sive enucleatione, „μὴ χαλεπαινέτω εἰ σφαλλόμενος ἐλέγχεται ὑπ' ἐμοῦ" opinatur aliis codicibus diversam lectionem contineri. Verum Arnoldo assentior contendenti verbis Scholiastae inesse paraphrasin verborum μὴ χαλεπῶς σφαλλέσθω. Quae verba, si supra laudatum sensum habent, non a Thucydidea brevitate abhorrere mihi videntur.

„tantum non se ab iis defendisse sed neque incolumes evasisse, „his accidisse non ut nihil acquirerent sed etiam ut sua relinquere „debuerint.

„Neque enim ultio felici utitur successu, quia injuriis est expressa; „neque potentia est firma, quia est cum bona spe conjuncta. Verum „incerta belli fortuna plurimum dominatur, quae quum sit fallacissima, „tamen videtur esse utilissima. Quum enim utrique aequali teneamur „metu, majori providentia nos invicem aggredimur.

„Quod quum sit obscurum cum ob incertum metum tum quia „Athenienses timendi jam adsunt, utrâque ratione perculsi et cre„dentes his difficultatibus satis superque nostram opinionem, qua pu„tabamus aliquid magni momenti (39) nos effecturos, impediri, instantes „hostes ex nostra regione dimittamus et inprimis aeternam pacem „jungamus; si minus, sponsione in quam longissimum tempus obligati „privatas controversias in posterum differamus.

„Enimvero ut summam rem complectar, ea simus sententia, nos, „si obtemperemus (40) mihi, singulos liberam habituros civitatem, ex

---

(39) C. 63, 1. *ὧν ἕκαστός τι.* Vulgo legitur *τις*, pro quo *τι* habent libri quam plurimi, iidemque partim optimi (Goell.). Vulgata lectio hunc sensum praebet: *τὸ ἐλλιπὲς ἐκείνων, ἃ ἕκαστός τις ᾠήθημεν πράξειν, consiliorum defectus in iis, quae nos exsecuturos esse unusquisque sperabamus.* Scriptura *τι* hunc explicandi modum admittit: *τὸ ἐλλιπὲς ἐκείνων, ων ἕκαστός τι ᾠήθημεν πράξειν.* i. e. *in iis, quorum aliquid nos exsecuturos esse sperabamus.* Assentior Arnoldo dicenti: „But we should rather expect *ᾠήθημέν τι πράξειν* than *τι ᾠήθημεν πράξειν.*" Quamquam autem in loco vertendo Bekkeri ac Goelleri opinionem sum secutus, pro vulgata tamen lectione haud pauca pugnant.

(40) C. 63, 2. *πειθόμενοι.* Immo cum Cobeto legendum censeo *πιθόμενοι.* De Aoristi forma cum Praesentis permutata vid. Mnemos VI, (1857) p. 315, seq.

„qua nostro ipsorum arbitrio eum qui nobis bene faciat rependere, „ab eoque qui nobis bellum inferat, nosmet ex aequo virtute defendere „possimus.

„Sin, iis quae dixi fide non habita, aliis dicto audientes fuerimus, „poenam infligere non poterimus, verum, si vel res cedat nobis (41), „cum infestissimis amicitia contracta, necessario inimicos nobis red„demus eos quos non decet.

„Atque ego, ut initio dixi, in hanc concionem adferens civitatem „maximam (42) et alii magis inferens bellum quam me ab hoste de„fensurus suadeo prospiciens ipsis, ut indulgeam neque ita malum „inferam inimicis, ut ipse majorem cladis partem accipiam, multo „minus ut stolida ambitione inductus putem me eodem modo habere „in potestate meum ipsius consilium ac fortunam cui non impero,

---

(41) C. 63, 2. *ἀλλὰ καὶ ἄγαν εἰ τύχοιμεν — γιγνόμεθα.* Pro *ἀλ. κ. αγ. εἰ τυχ.* Cobetus legendum censet *ἀλλὰ κἂν εὐτυχῶμεν*, quam lectionem vertendo expressi. Tollit enim omnes difficultates, quas in hoc loco interpretando sibi crearunt interpretes. Variant VV. DD. inter *γιγνώμεθα*, *γιγνόμεθα*, *γινόμεθα* et *γιγνοίμεθα*. Poppo et Goellerus praeferunt *γιγνοίμεθα*, Indicativum cum particula *ἂν* ita poni posse negantes. Lectionem vetustissimam *γιγνώμεθα* Bekkerus optimorum codicum auctoritate mutavit in *γιγνόμεθα*. Si licet dicere quid sentiam, Thucydides in priori membro rem quae futura esset proponit, omisso verbo quocum particula *ἂν* conjungenda esset, in posteriori membro vero opinione confirmata rem futuram ita quasi praesentem ponit, ut ad Indicativum *γιγνόμεθα* veniat. Dobraeus (Adv. I, p. 66) dubitanter rogat: „Nonne, ut res maxima ex voto ceciderit? — supposing the most „favourable result.„

(42) C. 64, 1. *πόλιν τε μεγίστην — ἀμυνούμενος.* Respondent haec, ut Hermocrates verbis *ἅπερ καὶ ἀρχόμενος εἶπον* indicat, iis quae cap. 59 hujus libri dicta sunt: „*οὔτε πόλεως ὢν ἐλαχίστης.*„ Idem valet *εἶναι οὐκ ἐλαχίστης πόλεως* ac *πόλιν μεγίστην παρέχεσθαι* = représenter. Simili modo verba: *καὶ ἐπιὼν τῷ μᾶλλον ἢ ἀμυνούμενος*„ respondent verbis cap. 59. „*οὔτε πονουμένης μάλιστα τῷ πολέμῳ.*„

„sed quatenus fieri potest me vinci patiar. Aequum autem censeo alios „facere hoc idem mecum, a vobis ipsis nec vero ab hostibus vinci ([43]).

„Non enim turpe est propinquos invicem superari, aut Dores a „Doribus aut Chalcidenses a cognatis, verbo, quum simus finitimi et „unius regionis incolae ejusque mari circumfusae ac uno Siciliensium „nomine comprehensi. Qui bellum gerimus, ut opinor, quandocumque „fors ita tulerit, rursus in gratiam revertemur per nosmet ipsos com- „muni consilio; alienigenas vero arma nobis intentantes universi „semper, si sanae mentis sumus, propulsabimus, siquidem singulis „cladem passis universi versamur in periculo.

„Socios autem in posterum numquam adsciscemus neque pacis con- „cordiaeque arbitros. Quae si fecerimus, in praesentiarum duo in Sici- „liam conferemus beneficia, ut et ab Atheniensibus et ab intestino „bello liberemur, et in posterum ut incolamus Siciliam per nosmet „ipsos in libertatem restitutam atque ab aliis insidiis minus petitam.„

Ea oratione ab Hermocrate habita, pax ita convenit inter Sicilienses ([44]), ut Syracusani Morgantinen urbem, belli caussam, redderent Camarinis ([45]) caeteraeque civitates suis finibus continerentur.

Quo facto, quum Jones omnium Siculorum societate tenerentur,

([43]) C. 64, 2. *ταὐτό μοι ποιῆσαι ὑφ᾽ ὑμῶν αὐτῶν.* Dobraeus sibi visus est emendare locum legens *ἀφ᾽ ὑμῶν*, idque Arnoldus minus recte praefert Bekkeri, Popponis ac Goelleri rationi interpungendo jungentium *ὑφ᾽ ὑμῶν αὐτῶν — τοῦτο παθεῖν.*

([44]) Communi nomine, *ὦ Σικελιῶται*, prudenti consilio Hermocrates appellabat cives, qui ex diversis Siciliae urbibus, alii alia origine, Gelam convenerant, ut discrimen ex originis vel Doricae vel Ionicae vel etiam Siculae varietate ortum tolleret.

([45]) Thuc. IV, 65, 1—3.

copiae Atheniensium, qui ad hoc consilium accedere nolebant, Sicilia abierunt. Praefecti classis Pythodorus et Sophocles exsilio, Eurymedon pecunia multati sunt quod, quum Siciliam subigere potuissent, largitionibus corrupti [46] re infecta discessissent.

Ceterum Atheniensibus e Sicilia profectis, discordiarum causae non defuerunt. Ita enim dissidio inter optimates et plebem Leontinorum orto Syracusani usi sunt, ut suam in reliquos Sicilienses proferrent dominationem. Principes hujus urbis civitate donati a Syracusanis, plebe expulsa, in eorum dicionem adsciti sunt.

Quae res cum reliquos periculi admonuit tum inprimis in causis fuit, cur Athenienses iterum rebus Siculis immiscerentur. Flagitantibus enim Leontinis anno 422 Phaeax missus est, qui Leontinorum plebem a Syracusanis sede motam restitueret et quam plurimas civitates Atheniensibus conciliaret.

Interjectis aliquot annis, ad Leontinorum inopiam accesserunt preces Egestanorum. Inter Egestanos barbaros genere et Selinuntios Graecos natione litibus ortis, hisce favebant Syracusani. Egestani igitur ex foedere, quod cum Lachete factum erat, anno 416 Athenis auxilio petere decreverunt.

Quorum legati in concionem admissi Athenienses monuerunt, ne Syracusanos in Siciliae civitates dominari paterentur. Fieri enim posse, ut Syracusani originis suae memores Lacedaemoniis opem ferentes

---

(46) Aliquid displicet apud Thucydidem in hac narratione (IV, 65, 4). Nam quod dicit Athenienses ex tribus praetoribus unum coegisse ut solum verteret, reliquos mulctasse pecunia τῇ παρούσῃ εὐτυχίᾳ χρωμένους, mirum est. Prospera fortuna non utebantur sed abutebantur. Itaque malo verbum hac in re frequens ἐπαιρόμενοι.

Athenarum opes adorirentur. Quo facto Athenienses sive hoc metu permoti, sive dominandi cupidine adducti Alcibiade, Nicia, Lamacho ducibus memorabile bellum susceperunt.

Ubi naves Corcyra, quo omnibus sociis conveniendum fuerat, discesserunt, classe inferioris Italiae oris appulsa, ab Graecorum coloniarum incolis ita infesto animo accepti sunt Athenienses, ut a plerisque vel moenibus excluderentur, in quibus erant Tarentini et Locrenses. Rhegini soli Atheniensibus pristinâ societate juncti naves ut subducerent passi sunt. Quum tempus nihil agendo trivissent, ora Siciliae circa Naxon potiti, Catana dolo occupata, Syracusis tandem anno 415 appropinquarunt.

Hoc tempore Syracusas nuntii crebri afferebantur, licet optimates vanos esse rumores populo persuadere conarentur ([47]), Athenienses Egestanorum ac Leontinorum socios ingentibus copiis adventare.

Concione convocata, Hermocrates *παρελθὼν αὐτοῖς, ὡς σαφῶς οἰόμενος εἰδέναι τὰ περὶ αὐτῶν, ἔλεγε καὶ παρῄνει τοιάδε* ([48]).

„Incredibilia forsan, ut et alii quidam, videbor vobis narrare, si „perhibebo Athenienses revera adventare, atque persuasum habeo eos „qui aut narrant aut nuntiant ea quae haud digna fide videntur non „tantum non fidem vobis facturos verum etiam dementiae culpam „contracturos. Attamen neutiquam deterritus ea quae dicenda habeo „reticebo, respublica quum versetur in periculo quumque persuasum „mihi habeam me ceteris rem melius exploratam habere.

([47]) Thuc. VI, 32, 4. *ἐλέχθησαν τοιοίδε λόγοι ἀπὸ τῶν ἄλλων.* Pro *ἀπὸ* legendum esse *ὑπό* nunc inter omnes constat.

([48]) Thuc. l. l. Oratio Hermocratis continetur Thuc. VI, 33 et 34.

„Athenienses enim adversum nos veniunt, quod adeo miramini, ingentibus copiis navalibus et terrestribus ([49]), specie ([50]) quidem ut „Egestanis sociis auxilium ferant et Leontinos reducant, revera autem „Siciliae potiundae cupiditate, maxime urbis nostrae capiendae, „sperantes fore ut, si hac potiti erunt, caetera habeant in sua potestate.

„Qui quum brevi affuturi sint, cogitate ex iis quae vobis suppetunt „copiis, quo modo optime iis obviam eatis, atque ne despiciendo „inermes deprehendamini, nec fidem non habentes salutem communem „negligatis Quodsi autem cui vera videantur, ne eorum audaciam et „vires pertimescat. Neque enim majorem cladem nobis inferre possunt „quam ipsi a nobis affici; et quod magna veniunt expeditione, neque „illud ipsum inutile est ([51]), verum quod attinet ad reliquos Sicilienses „multo melius, (metu enim perculsi multo lubentius conjungere se „nobiscum cupient), et si vero aut devicerimus ipsos, aut depulerimus „eos spe earum rerum quas cupiunt, (non enim hercle ne assequantur

---

([49]) C. 33, 2. *καὶ πεζικῇ*. Monet Goellerus ad h. l. Thom. M. p. 699 praecipere cum Demosthene et ceteris dicendum esse *πεζὴ στρατιὰ* non *πεζική*, etsi hoc sit apud Thucydidem; hoc enim esse *ποιητικώτερον*. Utroque modo diversis locis scriptum invenitur. Bekkerus omnibus Thucydidis locis *πεζὴ* scribit, quem sequendum esse arbitror. (Vid. Dobr. Advers. I, p. 88.).

([50]) C. 33, 2. *πρόφασιν μὲν Ἐγεσταίων ξυμμαχίᾳ*. Lubens assentior Vir. Doct. van Herwerden (Exercitat. Crit. p. 156). contendenti necessario hic requiri praepositionem *ἐπί*. Consilium simulatum enim non causa expeditionis narratur, ut idem sit ac si dicatur: *ξυμμαχήσοντες Ἐγεσταίοις καὶ κατοικιοῦντες Λεοντίνους*; quae vis praepositioni *ἐπί* cum dativo junctae inest. Vides quam facile siglum praepositionis *ἐπί* in Codicibus ante literam *E* sequentis vocabuli potuerit excidere ***ΕΠΕΓΕΣΤ***.

([51]) C. 33, 4. *ἀνωφελεῖς*: v. Herw. (Exerc. Crit. p. 156) legendum censet *ἀνωφελές*. Quacum sententia lubens facio, praeeunte inprimis Dobraeo Advers. I, p. 88.

″ quae exspectent metuo), pulcherrmium profecto facinus (52) perpe-″ trabimus, atque ita futurum haud despero. Paucae enim magnae ″ expeditiones sive Graecorum sive barbarorum quas in longinquas ″ terras miserunt prospero usae sunt successu. Nam tum adveniunt ″ pauciores numero quam incolae et finitimi sunt (omnes enim metu ″ conjunguntur), tum si inopia commeatuum in hostium regione cladem ″ acceperint, etiamsi sua ipsorum culpâ cladem contraxerint, iis qui ″ bello sunt lacessiti (53) gloriam tamen relinquunt.

″ Qua re (54) et Athenienses illi ipsi, Medo praeter spem multa

---

(52) C. 33, 4. *ἔργων.* Haackius et Poppo rectissime in *ἔργον* mutaverunt, ut mirum sit Arnoldum et Boehmium *ἔργων* retinuisse.

(53) C. 33, 5. *κἂν περὶ σφίσιν αὐτοῖς τὰ πλείω πταίωσιν.* Ii qui h. l. dicuntur *πταίειν* sunt qui e longinquo aggrediuntur. Eodem sensu praepositio *περί* cum dativo juncta occurrit. Thuc. I, 69, 9. ″ *ἐπιστάμενοι καὶ τὸν βάρβαρον αὐτὸν περὶ αὑτῷ τὰ πλείω σφαλέντα.* ″ Adde Herodot. IX, 101, 4. ″ *μὴ περὶ Μαρδονίῳ πταίσῃ ἡ Ἑλλάς,* ″ et Dionys. Hal. VII, 4. ″ *ὁ μὲν πεζὸς αὐτῶν στρατὸς περὶ ἑαυτῷ σφαλεὶς — ἔφυγεν.* Vulgata lectio est *πταίσωσιν.* Variant editores. Si optare licet, tueor *πταίωσιν.*

(54) C. 33, 6. *ὅπερ καὶ Ἀθηναῖοι — ηὐξήθησαν.* ″ Initio § 6. certum est ″ Thuc. dedisse *ὥσπερ* pro *ὅπερ*, quidquid obloquitur Poppo similesque huic criti- ″ castri. ″ Sunt verba v. Herw. l. l. At *ὥσπερ* friget neque rite claudit sententiam. Arnoldus allegat haec verba Goelleri: ″ Thucydides in mente habebat scribere *ὅπερ καὶ* ″ *Ἀθηναῖοι ἔπαθον*, sed in fine ipsam explicationem ejus verbi scribens *ηὐξήθησαν* ″ addit. ″ Sunt verisimiliter verba ex priori Thuc. editione Goelleri, quae nunc mihi ad manum non est. Nam in altera Thuc. editione (1836) Goellerus haec dicit: ″ Tum ″ *ὅπερ* in verbis *ὅπερ καὶ Ἀθηναῖοι—ηὐξήθησαν* nunc cum Lehnero, Actt. ″ Philol. Monacc. Vol. III, p. 32. accipio pro *δι᾽ ὅπερ*, *aus welchem Grunde.* Cf. II, ″ 40, III, 12, IV, 125. Isocr. Panath. 181, p. 304. ″ Suspicor Goellerum in altera editione hoc de loco mutasse sententiam. *Ὅπερ* accipere pro *δι᾽ ὅπερ* optimum ac tutissimum esse mihi videtur.

„ adversa passo, propter famam quod Athenas petebat, creverunt: nec „ nobis ut idem accidat extra spem est positum.

„ Quare bono animo quum simus, Syracusanam rem instruamus et „ circa Siculos mittentes alios confirmemus, cum aliis amicitiam socie-„ tatemque conjungamus, nec non circa reliquam Siciliam legatos „ mittamus, qui doceant periculum esse commune, et in Italiam; ut „ aut societate nobiscum jungantur (55) aut Athenienses saltem ne „ recipiant.

„ Quin etiam Carthaginem nos legatos mittere utile mihi videtur. „ Non enim hoc praeter opinionem iis accidet, verum perpetuo metuunt „ ne quando Athenienses ipsorum urbem oppugnent, ita ut verisimile „ sit illos ratos fore ut, si haec negligant, ipsi maximis laboribus „ premantur, aperte sive clam sive alio quocunque modo nobis auxi-„ lium laturos esse. Quam opem inprimis, si volunt, praestare possunt. „ Auri enim atque argenti copia (quorum ope bellum geritur et reliqua „ sustentantur) abundant. Mittamus etiam Lacedaemonem atque Co-„ rinthum, orantes ut huc quam celerrime auxilia mittant.

„ Quod vero equidem arbitror maxime opportunum fore quodque „ vobis propter insitum quiescendi studium ut cito faciatis aegre per-„ suaderi possit, tamen dicetur. Si enim universi Sicilienses, si minus, „ quam plurimi nostrum, navibus omnibus quae sunt nobis deductis, „ duorum mensium cibariis sumptis, vellemus obviam ire Atheniensibus

---

(55) C, 34, 1. ξυμμαχίαν ποιώμεθα ἡμῖν. Haec verba variis modis a VV. DD. tentata sunt. Vulgo legitur ξυμμαχίαν ποιῶνται, quod ferri nequit. Coraes conjecit ξυμμαχίδα ποιώμεθα. Quidni legamus: ξυμμαχεῖν ποιώμεθα? Vel sequamur codicum lectionem ξυμμαχῶσιν ἡμῖν.

„ad Tarentum et Japygiam promuntorium iisque ostendere, non „prius certamen fore de Sicilia (56) quam ipsi transmiserint Jonium „mare, metum iis injiceremus ac faceremus, ut ea cogitatio animos „subiret, nos ultro obviam ipsis venire ex socia regione custodes, „(recipiet enim nos Tarentum), se vero vastum mare cum omni ap- „paratu trajicere ac perquam difficile esse longo itinere ordines servare.

„Itaque quum naves eorum non nisi lente et paucae (57) simul ac- „cedere possint, facili negotio a nobis invadi poterunt. Si vero velo-

---

(56) C. 34, 4. *περὶ τῇ Σικελίᾳ ἔσται ὁ ἀγὼν ἢ τοῦ.* Dubitant VV. DD., utrum *περί* genitivo an dativo jungendum sit. Genitivum tuentur Dukerus, Haackius, Dobraeus. Bauero videtur Thucydides ipso casu distinxisse, ut uno vocabulo semel posito duos adjungeret casus. Secundum eum Thucydides distinguere voluit sensum: non *circa* Siciliam fore concertationem, i. e. non passuros ipsos, eo usque penetrare Atheniensium classem, sed *procul* a Sicilia impedituros et occursuros, ut ne Ionium quidem mare trajiciant, nedum Siciliae immineant, Pro dativo cum *περί* jungendo haec videntur mihi pugnare.

Athenienses in animo habebant tentare, an Sicilia potiri possent. Iis *περὶ τῆς Σικελίας ἔσται ὁ ἀγών*, ut Thuc. II, 42; III, 53; V, 9 caet. At Siculi pro patria servanda pugnaturi erant, ut mala omnia a patria arcerent, atque illo sensu ab eorum parte *ὁ ἀγὼν ἔσται περὶ τῇ Σικελίᾳ.*

Praepositio *περί* cum dativo defensionis notione occurrit Hom. Il. XVII, 132.

Αἴας δ' ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος εὐρὺ καλύψας
Ἑστήκει, ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν.

Vid. Hom. Odyss. XVII, 471. Aristoph. Equ. 1034: „Quodsi," ait Bauerus, „absit aut *τοῦ* aut *ἢ*, commodum sane sensum reddiderint verba: non *prius* de Sicilia „vel circa Siciliam concertationem futuram, *quam* (domo) illi transmiserint Ionium, i. e. „prius eluctandum illis esse, nobis sc. prohibentibus, Ionium mare, quam ad Siciliam „tam prope accedant." Abjecto igitur vocabulo *τοῦ*, legendum censeo *οὐ πρότερον ἔσται ὁ ἀγὼν ἢ ἐκείνους περαιωθῆναι τὸν Ἰόνιον.*

(57) C. 34, 4. *κατ' ὀλίγον.* Iam dudum vulgata lectio *κατὰ λόγον* emendata est a VV. DD. ut recte explicatur a Scholiasta verbis *οὐκ ἀθρόα.* cf. Thuc. V, 9, 1. *κατ' ὀλίγον καὶ μὴ ἅπαντας κινδυνεύειν.* vid. Goell. ad h. l.

„cioribus navibus usi conferti ([58]) appulerint et remis incubuerint, „labore fessos aggrediemur.

„Quod si non placeat fieri, Tarentum nobis recedere licebit, ipsi „vero cum exiguo commeatu, ut qui proelium inituri sunt, itinere „maritimo confecto, in locis desertis inopia laborabunt, ac seu maneant, „obsidione prementur, seu conati praeternavigare reliquo apparatu „destituti et incerti an ab urbium incolis recipiantur, animis fluc„tuabunt.

„Quibus rationibus adductus existimo fore ut illi adeo intercludantur, „ut ne ex Corcyra quidem moveant classem, sed ut deliberantes et „explorantes quanto numero atque ubi locorum habitemus, expeditionem „in hiemem differre cogantur, aut perculsi inexspectata re absistant ab „incepto; praesertim quum peritissimus ex imperatoribus, ut fama fert, „invitus copiis praesit et cupide praetextum arrepturus sit, si quid „fortiter a nobis factum videatur. Pro certo autem scio fore ut rumor „major vero de nobis divulgetur.

„Hominum enim consilia ex fama pendere solent, multoque magis „metuunt eos qui priores inferunt arma vel eos qui arma intentantibus „ostendunt se obviam ituros, quia sibi haud impares ([59]) existimant. „Quod nunc quidem Atheniensibus accidet. Aggrediuntur enim nos

---

([58]) C. 34, 5. *τῷ ταχυναυτοῦντι ἀθροωτέρῳ, κουφίσαντες, προσβάλοιεν.* Verbum *ταχυναυτεῖν* occurit apud Thuc. V, 31, 4. Fortasse legendum est *ἀθροώτεροι*, et *κουφίσαντες* praebet speciem explicationis, quae in textum irrepserit, quare vertendo non expressi.

([59]) C. 34, 7. *ἰσοκινδύνους ἡγούμενοι* Sequor Scholiastae explicationem: „*Ἤτοι ἐν ὁμοίῳ κινδύνῳ καταστήσοντας αὐτοὺς, ἢ ἰσοπαλεῖς.*

„ tamquam nihil restituros, idque merito (60) judicantes, quod Lacedaemoniis auxilio non fuimus.

„ Si autem videbunt nos praeter opinionem audere, re non opinatâ (61) magis percellentur quam copiis, quae revera adsunt nobis. In hoc igitur meo consilio obtemperate, maxime ut ea quae supra dixi audeatis; sin minus, ut quam celerrime reliqua quae ad bellum opus sunt comparetis, atque persuasum sit cuique contemtum hostium apparere factorum efficacitate, in praesenti vero re, apparatus cum metu tutissimos judicantes agere tamquam periculo impendente, utilissimum esse. Et adveniunt, eosque jam esse in itinere, moxque affore exploratum habeo. „

Erant eo tempore Syracusis duae factiones (62) quarum una optimatum causam agebat altera plebis. Hermocrates quum ab illorum partibus staret, haud aliter fieri potuit, quin, oratione in qua obviam eumdum esse Atheniensibus dixerat, habita, Athenagoras alterius factionis princeps (63) omnia alia persuadere conaretur.

---

(60) C. 34, 8, *δικαίως κατεγνωκότες.* *Τὸ δικαίως δύναται μὲν καὶ πρὸς τὸ ἐπέρχονται λαμβάνεσθαι, δικαίως ἐπέρχονται· δύναται δὲ καὶ πρὸς τὸ κατεγνωκότες.* Schol, quod posterius unice verum est.

(61) C. 34, 8, *τῷ ἀδοκήτῳ μᾶλλον.* Idem fere valet *τῷ οὐκ εἰκότι* (Thuc. II, 89, 8.)

(62) *Τῶν δὲ Συρακοσίων ὁ δῆμος ἐν πολλῇ πρὸς ἀλλήλους ἔριδι ἦσαν,* ut ait Thuc. VI, 35, 1.

(63) Thuc. l. l. appellatur Athenagoras *δήμου προστάτης.* Dissentiunt VV. DD. utrum ea appellatione significetur magistratus nec ne. Quae res quum ad nostram disquisitionem non pertineat, nos ne amplius moretur. Rationibus tamen argumentorum subductis, mihi videri *δήμου προστίτην* nil amplius quam plebis patronum significare haud diffiteri liceat.

In oratione quam habuisse narratur Athenagoras (Thuc. VI. 36—40) democratiae commoda extollens rumorum de Atheniensium expeditione culpam in optimates confert.

Eo audaciae processit ut concurri ad arma oportere statueret, quo melius populus se hostibus haud imparem esse ostenderet ([64]).

Quae quum dixisset, unus ex Praetoribus Syracusanorum quemquam verba facere vetuit atque se bellum administraturum esse declaravit ([65]).

Unde factum est, ut Praetores certiores facti Atheniensium classem, statione Corcyrae relicta, petere Rhegium, praesidiis urbibus impositis, missis legatis in Siculorum urbes, Syracusis ipsis munitis, magis in Hermocratis quam Athenagorae sententiam inirent consilia ([66]). Tradit nobis Thucydides tria Atheniensium imperatorum consilia de bello gerendo in Siciliam (VI. 47—49).

Quum autem post Alcibiadis fugam imperium divisum esset inter Niciam justo prudentiorem et Lamachum, qui ut rei militaris esset peritus minus tamen valebat auctoritate, praesidiis positis Catanae, nihil proficiebant Athenienses. Continebant enim se moenibus adeoque nihil agendo tempus terebant, ut Syracusani moenibus adequitantes iis irriderent. Quo facto Nicias excitatus, majori anni parte jam elapsa, dolo parte quadam Syracusarum urbis potitus victoriam de hostibus

---

([64]) In Athenagorae oratione emblema tollendum videtur C. 37, 1: *μέγα γὰρ τὸ καὶ αὐταῖς ναυσὶ τοσοῦτον πλοῦν δεῦρο κομισθῆναι.* Hoc statim intelligitur: *αὐταῖς ταῖς ναυσί* est: navibus solis non oneratis ingenti apparatu, quo Atheniensibus opus erat in magnae urbis obsidione. Hoc qui explicare voluit addidit *ναυσι κούφαις*, quod ei reddiderim.

([65]) Thuc. VI, 41.

([66]) Thuc. VI, 45.

reportavit. Adeo tamen impar equitibus Syracusanis fuit, ut ante hiemem Naxon concederet hiematum.

At Syracusani (67) clade edocti qua in re cederent Atheniensibus a. 415 concione habita Hermocrati obtemperarunt. Hic enim animis eorum firmatis vetuit eos praesenti clade consternari. Non animos enim superatos esse, disciplinam vero militarem minus severe exactam iis obesse, nec tamen tanto superari quanto fore probabile fuisset inprimis quum tirones cum veteribus militibus dimicassent.

Multum item nocuisse ducum multitudinem (68) (erant quindecim numero) nec non militum licentiam. Quodsi pauci rei bellicae prudentes imperatores legerentur qui per hiemem militem instruerent, ministrarent arma quibus deessent, ut quam plurimi adessent, et ad se exercendum cogerent, haud dubie esse, eos hostibus fore superiores, quum virtus non desit ac disciplina ad facta accedat: imperatores autem et paucos eligendos esse et liberam plenamque potestatem habentes; jurejurando populum adigendum esse, se passuros esse illos habere imperium qua ratione intelligant: hoc modo enim quae occultanda sint melius taceri, et reliqua ordine et apte parari.

His auditis Syracusani decreverunt omnia uti suaserat, Hermocratem, Heraclidem et Sicanum imperatores creatos miserunt legatos Corinthum ac

---

(67) Thuc. VI, 72.

(68) *Τὸ πλῆθος τῶν στρατηγῶν καὶ τὴν πολυαρχίαν.* Viro Clarissimo W. G. Pluygers (Mnemos XI, 1, 92) vocabula *τὸ πλῆθος τῶν στρατηγῶν καὶ* ejicienda esse censenti assentior. *Πολυαρχία* occurrit apud Xenophontem (Anabas. VI, 1, 18) ubi unius imperio opponitur: *ἡγήσαντο οὖν, εἰ ἕνα ἕλοιντο ἄρχοντα, μᾶλλον ἂν ἢ πολυαρχίας οὔσης δύνασθαι τὸν ἕνα χρῆσθαι τῷ στρατεύματι καὶ νυκτὸς καὶ ἡμέρας.*

Lacedaemonem, qui societate cum ipsis facta a Lacedaemoniis peterent ut pro virili parte bellum cum Atheniensibus studio majori propalam gererent, quo facto fore ut aut eos a Sicilia abstraherent aut quominus subsidium ad copias in Sicilia degentes mitterent impedirentur (Thuc VI. 73) (69).

Ipsius Hermocratis admonitu pedestrium copiarum numero aucto urbem ipsam atque portum moenibus ab hostium impetu defendere in animo habebant.

Graecas civitates in suas partes adducere conabantur partim Dores contra Jones incitando partim omnibus persuadendo nihil aliud Athenienses cupere nisi totam insulam in servitutem redigere (70).

Syracusani per hiemem anni 415—414 urbem moenibus cingere, Temenitem intra moenia includere, muro undequaque Epipolas versus ducto, castellum ad Megara, alterum in Olympieo exstruere, littora aggeribus valloque munire. Ceterum ubi cognoverunt, Athenienses Camarinam misisse legatos, ad foedus auctore Lachete factum renovandum, ipsi suos miserunt.

Suspectos enim habebant Camarinenses, ne, cum segniter ac gravate auxilia misissent, Atheniensibus, veteris amicitiae memoria repetita, jungerentur. Ab Atheniensibus Camarinam missus est Euphemus, a Syracusanis Hermocrates, qui vocata Camarinensium concione, hujusmodi habuit orationem (71):

---

(69) Quo tempore Syracusani conabantur prohibere, quo minus Athenienses occuparent Epipolas (a. 414) memorantur Hermocrates ejusque collegae. Thuc. VI, 96, 3. (ἐτύγχανον γὰρ αὐτοῖς καὶ οἱ περὶ τὸν Ἑρμοκράτην στρατηγοὶ ἄρτι παρειληφότες τὴν ἀρχήν.)

(70) Thuc. VI, 73. Diodor. Sic. XIII, 4.

(71) Thuc. VI, 75. Hermocratis oratio continetur Thuc. VI, 76—80.

„ Legati ad vos venimus, Camarinenses, non adeo quia verebamur, „ ne praesentes Atheniensium copiae vobis terrorem ac metum incuterent; „ verum multo magis ne oratione ipsorum, priusquam nostra audissetis „ verba moveremini.

„ Adsunt enim in Sicilia, praetextu, quem auditis, consilio autem „ quod omnes taciti suspicamur. Ac videntur mihi non animo agitare „ de Leontinis restituendis sed de nobis nostra sede pellendis. Non „ enim rationi consentaneum est, illic evertere hic condere urbes „ et Leontinorum Chalcidensium ob cognationem curam agere, Chal- „ cidenses vero in Euboea, quorum hi coloni sunt, servitute tenere „ oppressos. Eadem specie qua illa habuerunt haec nunc habere co- „ nantur. Persici namque specie belli duces facti voluntate Jonum „ sociorumque qui ab ipsis originem ducebant, alios ob militiam de- „ tractatam (72), alios quia bella inter se gerebant, alios, ut adversus „ singulos speciosam causam afferre poterant, suae dicionis fecerunt.

„ Nec sane Athenienses ob Graecorum libertatem nec Graeci ob suam „ ipsorum Medo restiterunt; sed illi, quo ipsimet, non Medus imperium „ tenerent, hi autem ut dominum mutarent non imprudentiorem sed „ versutiorem. Verum enimvero non de Atheniensium urbe, quae a „ quolibet accusari possit, quaecumque injuste egerit, vobis consciis, „ commemoraturi huc venimus, sed multo magis nosmet ipsos incusa- „ turi, quod cum habeamus exempla illius regionis Graecorum, qui „ mutuo denegato auxilio suam amiserint libertatem, quum praesentes

(72) Thuc. VI, 76, 3. *Τοὺς μὲν λειποστρατίαν, τοὺς δὲ ἐπ᾽ ἀλλήλους στρατεύειν.* Assentior Cobeto ita locum constituenti *τοῖς μὲν λιποστράτιον, τοῖς δὲ ἐπ᾽ ἀλλήλους στρατεύειν.*

„fraudes atque artes de Leontinis cognatis reducendis, de Egestanorum „sociorum subsidio videamus, non conjunctis animis viribusque os- „tendimus iis, non hic Jones, non Hellespontios et insulanos qui „semper alieno domino servire didicerint, sed Dores esse, qui liberi „ex libera Peloponneso profecti Siciliam incolunt. An exspectamus, „quoad omnes singulis urbibus deinceps expugnatis subacti simus, „cum sciamus nos hac sola ratione domari posse, et illos hanc viam „belli gerendi ingredi videamus, ut inter alios verbis suis dissidia „excitent, alios societatis spe ad intestina bella compellant, alios „captando verborum lenociniis alio malo afficiant? Et putamus, si quis „longius a nobis situs ante evertitur, non ad nos quoque tandem „calamitatem perventuram, sed pro nobis quemlibet cladem perferre „pro se infortunium sustinere?

„Quodsi quis ita censet, Syracusanum non vero se ipsum esse „hostem Atheniensi, et iniquum putat pro mea re pericula capessere, „is sibi in animum inducat velim, se non de mea magis patria sed „aeque de sua in mea simul decertaturum tantoque tutius quanto, „me non ante debilitato at socio ejusdem periculi, non solus (73) cer- „tamen sit subiturus.

„Atheniensem enim nolle coercere Syracusani hostilem animum, sed „meo praetextu illius amicitiam multo magis firmare. Si quis autem „sive invidia sive metu aliquo nostri teneatur (utrique enim obnoxii

(73) Thuc. VI, 78, 1. οὐκ ἔρημον ἀγωνιεῖται. Quamquam prope omnes Codd. habent ἔρημον, facio cum Arnoldo legenti ἔρημος. Non enim sermo est de Syracusanis sed de aliis civitatibus, quae, Syracusanorum opibus stantibus, non eorum auxilio erunt destituentur.

„ sunt potentiores) et ob eam causam Syracusas castigari velit, ut „ fiamus moderatiores, suae se salutis causa superesse, is ejus rei, quae „ non humani est arbitrii, spem concepit Non enim fieri potest, ut „ idem sit aeque cupidinis ac fortunae dispensator [74]. Et si sententia „ ipsum deceperit, suis ipsius malis dolens fortasse meis bonis rursus „ invidere volet. Hoc effici non potest ab eo qui amicum deseruerit „ quique non de verbo sed de facto periculi particeps esse noluerit. „ Verbo enim nostram potentiam incolumem quis praestabit facto autem „ suam ipsius salutem tutabitur.

„ Quae vos, Camarinenses, quum finitimi sitis et proximi secundum „ nos in periculo, praevidere oportebat, neque vero segniter, ut nunc „ facitis, esse socios; ipsos vero potius nos adeuntes, quae auxilia, si „ in Camarinensium agrum primum invasissent Athenienses periculis „ coacti invocassetis, ea similiter et in praesentia mutare in adhor- „ tationem, ne quid cedamus.

„ Sed neque vos neque reliqui adhuc eo pervenistis. Metu fortasse „ jus et adversus nos et adversus hostes obtendetis dicentes societatem vobis „ esse cum Atheniensibus, quam societatem non contra amicos fecistis „ sed contra hostes, si quis vos aggrediatur, et Atheniensibus auxilium „ ferre, quum ab aliis injuriam patiuntur non quum finitimis inferunt.

„ Vel Rhegini, qui sunt Chalcidenses, nolunt una reducere Leon- „ tinos, qui sunt Chalcidenses. Atqui cum isti speciosum praesentis

---

(74) Thuc. VI, 78, 2. *οὐ γὰρ οἷόν τε κ. τ. λ.* Apte comparat Arnoldus Thuc. IV, 64, 1. in oratione ab Hermocrate Gelae habita: *μηδὲ μωρίᾳ φιλονικῶν ἡγεῖσθαι τῆς τε οἰκείας γνώμης ὁμοίως αὐτοκράτωρ εἶναι, καὶ ἧς οὐκ ἄρχω τύχης.*

„ negotii titulum suspectum habentes desipientes sapiant, turpe est „ vos quorum causa honesta est iis qui natura sunt hostes opem ferre „ velle nec non infestis hostibus conjunctos perdere eos qui natura et „ multo magis sanguine juncti sunt. At nefas est opem ferre neque „ metuere eorum apparatum. Non enim, si nos omnes consentiamus, „ est terribilis, sed si, quod isti tendunt, in diversa trahamur. Namque „ nobiscum solis acie congressi, licet superiores discesserint, tamen non „ omnia assecuti sunt quae volebant, sed citato agmine abierunt.

„ Quapropter, dummodo collatis viribus in unum consenserimus, „ nihil est quod animos despondeamus, multo magis majori cum ala- „ critate societatem ineamus, inprimis cum socii ex Peloponneso cum „ auxiliis affuturi sint, qui istos ab omni parte in re militari prae- „ cellunt. Ac ne cui (75) prudentia videatur aequa esse adversus nos, „ vobis vero tuta, ut, quum sitis utrorumque socii, neutris auxilium „ feratis. Non facto enim aequum est ut in quaestione juris. Nam si „ propterea quod vos societatem negligitis, inferior oppressus, superior „ autem victor fuerit, quid aliud hac ipsa absentia effeceritis quam „ illorum salutem deserere, istos autem maleficio non prohibere?

„ Nihilominus honestius est injuriam passis et consanguineis societate „ conjunctos communem Siciliae salutem servare et vetare Athenienses, „ amicos scilicet, scelera committere.

---

(75) Thuc. VI, 80, 1. *τὴν προμήθειαν δοκεῖν τῳ ἡμῖν μὲν ἴσην εἶναι.* Vulgata lectio est *δοκεῖν τῷ*, quam correxit Dukerus in *δοκεῖν τῳ*, sequentibus omnibus editoribus. Dobraeus (Adv. I, 91) legendum censet *μὴ ἐκείνην προμήθειαν δοκεῖν, τῷ — ἴσην εἶναι.* Amplector Dukeri emendationem, licet codex Cassellanus, qui habet *δοκείτω*, haud spernendam lectionem continere mihi videatur.

„Paucis autem nos Syracusani [76] perhibemus nullam utilitatem „esse in eo ut et vos et reliquos doceamus id quod vos aeque novistis. „Obsecramus autem testamurque vobis simul, si nihil vos movebimus, „nos a Jonibus sempiternis hostibus insidiis peti, Dores autem a „Doribus prodi.

„Quodsi Athenienses nos subigent, secundum vestram opinionem [77] „superiores erunt, suo ipsorum tantum nomine in honore erunt, et „praemium victoriae non aliud, quam eum qui victoriam praebuerit, „habebunt. Contra ea si nos erimus superiores, iidem vos tamquam „causa periculorum poenam sustinebitis.

„Jam igitur deliberate et eligite, utrum praeoptetis praesentem „nullis periculis conjunctam servitutem, an nobiscum victoria potiti „velitis effugere turpem illorum dominationem et nostram inimicitiam, „quae haud brevis futura sit necesse est.„

Ubi haec dicta sunt ab Hermocrate Euphemus [78] Atheniensium legatus Camarinensibus ut cum Atheniensibus societate jungerentur persuadere conatus est.

([76]) Thuc, VI, 80, 3. *ξυνελόντες τε λέγομεν οἱ Συρακόσιοι.* Doct. v. Herwerden (Exercit. Crit. p. 157) delendum censet *οἱ Συρακόσιοι,* quod temerarium mihi videtur. Emphasin auget appositio subauditi pronominis *ἡμεῖς,* quem morem Graecos scriptores saepe sequi contendo. Neque opus est illo auctore ut *εἰ καὶ μὴ πείσομεν* scribatur pro *εἰ μὴ πείσομεν.* Multo magis me consentientem habet paulo infra *τιμήσονται* pro *τιμηθήσονται* legens.

([77]) Thuc. VI, 80, 4. *ταῖς μὲν ὑμετέραις γνώμαις.* Hanc significationem in versione expressam habet vox *γνώμη* plurali numero usurpata. Ut Thuc. I, 79, 3. *καὶ τῶν μὲν πλειόνων ἐπὶ τὸ αὐτὸ αἱ γνῶμαι ἔφερον.*

([78]) Euphemi oratio continetur Thuc. VI, 82—87.

Qua in oratione multis verbis Atheniensium in socios agendi rationem ab aliorum criminationibus defendit causam interserens quasi expeditionem suscepissent, ut se a Dorum insidiis tutarentur.

Admonuit Camarinenses sollerti consilio, ne a Syracusanis se in servitutem duci paterentur.

Licet Hermocrates Camarinenses in societatem adducere non posset, id tamen effecit, ut neutros ope sua juvarent. Quo facto Syracusani τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἐξηρτύοντο ἐς τὸν πόλεμον. (Thuc. VI, 88, 3.) Athenienses, Epipolis occupatis, in quibusdam proeliis equestribus fuerunt superiores. Quapropter Syracusani, inprimis Hermocrate suadente, proeliis universi exercitus abstinere decreverunt. (Thuc. VI, 99, 1.) Rebus autem male gestis, Syracusani τοὺς στρατηγούς, ἐφ' ὧν αὐτοῖς ταῦτα ξυνέβη, ἔπαυσαν, ὡς ἢ δυστυχίᾳ ἢ προδοσίᾳ τῇ ἐκείνων βλαπτόμενοι, καὶ ἄλλους ἀνθείλοντο, Ἡρακλείδην καὶ Εὐκλέα καὶ Τελλίαν. (Thuc. VI, 103, 4.)

Anno 413, (ea quae superiori anno acciderunt, prope nulla rerum ab Hermocrate gestarum facta mentione, nostri consilii habita ratione, praetermitti posse duximus) Hermocrates rursus in Thucydidis narratione occurrit. Gylippus enim Lacedaemoniorum dux, flagitantibus Syracusanis, Nicia non impediente subsidio urbi venerat, quam munivit. Utrique et Athenienses et Syracusani eorumque socii variam belli fortunam erant experti. Gylippus, Siculis copiis auxiliaribus auctus vere ineunte (a. 413) Syracusas rediit ([79]).

([79]) Thuc. VII, 21, 1. ὁ Γύλιππος ἧκεν ἐς τὰς Συρακούσας, ἄγων ἀπὸ τῶν πόλεων ὧν ἔπεισε στρατιὰν ὅσην ἑκασταχόθεν πλείστην ἐδύνατο.

Convocatos Syracusanos naves quam plurimas instruere pugnaeque navalis facere periculum jussit. Spem namque esse, dignum se discrimine facinus in universi summam belli perpetraturos. Hermocrates etiam impense hortabatur [80] eos, ne dubitarent navibus aggredi Athenienses. Quippe nec ipsos ita a majoribus rei maritimae peritiam accepisse, neque perpetuo ejus usu calluisse; sed, cum multo magis quam Syracusani mediterranei essent, a Medis ad rei nauticae studium compulsos. Quodsi quis contra Atheniensium audaciam pari utatur ferocia, hunc maximo iis terrori fore. Syracusanos bene cognitum habere, se ausos Atheniensibus in re navali resistere, licet minus exercitatos iis metu perculsis longe fore superiores. Proinde ne dubitarent fortunam navalis certaminis experiri. Hisce Hermocratis, Gylippi aliorumque vocibus accensi Syracusani naves instruxerunt [81].

Eodem anno Demosthenes atque Eurymedon cum ingentibus copiis navalibus ac terrestribus Atheniensibus auxilio quum venissent [82], nihil

---

[80] Thuc. VII, 21, 3. *ξυνέπειθε δὲ καὶ ὁ Ἑρμοκράτης οὐχ ἥκιστα.* Variant editores inter vulgatum *ξυνανέπειθε*, *ξυνέπειθε* et *ξυναναπείθει*, quo modo Dobraeus (Adv. I, p. 94) legendum censet. Necesse videtur ut verbo addatur praepositio *ἀνά*, atque temporum mutatione, qua Thucydides saepe utitur, admitti posse videtur praesens tempus. Arridet tamen *ξυνήπειγε*, *incitabat*, *urguebat.*

[81] Grote (Hist. of Greece, vol. VII, p. 290, nº. 2) miratur Hermocratem in Atheniensium incommodis commemorandis non ejus rei mentionem fecisse, quod Athenienses, copiae navales quum in Syracusarum portu essent, ipso spatio exiguo impedirentur. At fortasse nec Hermocrates nec Syracusani tunc temporis de portu claudendo adhoc cogitaverant.

[82] Thuc. VII, 42. Has copias enixe flagitarat Nicias in epistola ad populum (VII, 81), in qua dixerat *εἰ μὴ ὡς τάχιστα ἢ σφᾶς μεταπέμψουσιν ἢ ἄλλους μὴ ὀλίγους ἀποστελοῦσιν, οὐδεμίαν εἶναι σωτηρίαν.* Aut fallor aut Thucydides dedit *ἐπαποστελοῦσιν.*

antiquius habuerunt quam ut primo quoque tempore conarentur Epipolis potiri, unde urbem ipsam acrius oppugnarent.

Secutum est illud memorabile nocturnum proelium in Epipolis factum, cujus descriptio (Thuc. VII, c. 43—45) una inter omnes Thucydisis narrationes admiratione est digna. Initio quum omnia Demostheni bene cessissent, mox, rerum facie mutata, Athenienses magna clade repulsi sunt.

E Diodoro Siculo ([83]) discimus Hermocratem defensoribus Syracusanis interfuisse atque auctorem exstitisse, ut Athenienses spe Epipolarum potiundarum fallerentur.

Atrocissimo proelio in Syracusarum portu facto (a. 413), multis utrimque navibus, multis hominibus peremtis, Syracusani superiores *ἀποπλεύσαντες πρὸς τὴν πόλιν τροπαῖον ἔστησαν. οἱ δ' Ἀθηναῖοι, ὑπὸ μεγέθους τῶν παρόντων κακῶν, νεκρῶν μὲν πέρι ἢ ναυαγίων οὐδὲ ἐπενόουν αἰτῆσαι ἀναίρεσιν, τῆς δὲ νυκτὸς ἐβούλοντο εὐθὺς ἀναχωρεῖν.* (Thuc. VII, 72, 1, 2.) Demosthene adnitente, ut conscensis navibus reliquis, (Atheniensium supererant propemodum septuaginta, Syracusanorum minus quinquaginta) prima luce erumperent, nautae accepta clade perculsi, spe omni salutis abjecta, conscendere recusarunt. Omnibus igitur placuit, ut terra discederetur.

Quod quominus facerent, Hermocrates prohibere conabatur ([84]).

([83]) Diodor. Sic. XIII. 11. *τῶν δὲ Συρακουσίων πανταχόθεν συνδραμόντων ἐπὶ τὸν τόπον, ἔτι δὲ Ἑρμοκράτους μετὰ τῶν ἐπιλέκτων ἐπιβοηθήσαντος, ἐξεώθησαν οἱ Ἀθηναῖοι, καὶ νυκτὸς οὔσης, διὰ τὴν ἀπειρίαν τῶν τόπων, ἄλλοι κατ' ἄλλους τόπους ἐσκεδάσθησαν.* Vid. etiam Plut. Nic. 21.

([84]) Thuc. VII, 73.

Suspicatus enim Atheniensium consilium, haudquaquam committendum ratus, ut tantus exercitus terrâ digressus, aliâque parte Siciliae loco occupato, de integro bellum inferret, ad magistratus accessit monuitque, ne paterentur ipsos nocte abire (85); sed omnibus Syracusanorum sociorumque copiis viis interseptis locorum angustias custodiis occuparent.

Non displicebat magistratibus Hermocratis consilium. Verum homines pugna fessos, imprimis die festo, non facile ad imperata exsequenda adigi posse intelligebant. Haec secum volventes quum nihil moveret (86) Hermocrates ipse tale consilium iniit. Veritus ne Athenienses

(85) Thuc. VII, 73, 1. Verba, quae consilio vertere omisi sunt λέγων ταῦτα ἃ καὶ αὐτῷ ἐδόκει, quae ab aliis alio modo sunt tentata. Codex Lugdunensis habet καὶ ἅ. Cassellanus aliique καὶ ἃ καί. Valla *commemorans haec et alia, quae ipsi videbantur*, quem Poppo suspicatur legisse καὶ ἄλλα ἅ. Bauerus conjecit αὐτοῖς sc. τοῖς ἐν τέλει οὖσι. Dobraeus (Adv. I, p. 97) ἃ καὶ Γυλίππῳ ἐδόκει. Arnoldus (ed. 1857) existimat, Hermocratem de receptu Atheniensium loquutum esse, non ut de re per nuncios cognita, sed a se conjecta, conferens Thuc. I, 22, 2, ubi ὡς ἐμοὶ δοκεῖ contrarie positum sit verbis ἀκριβείᾳ ἐπεξελθών. Secundum Goellerum hoc firmatur verbis in principio hujus capitis ὑπονοήσας αὐτῶν τὴν διάνοιαν. Quo saepius relego locum, eo magis haec verba non a Thucydidis manu profecta esse mihi videntur. Sive enim cum Bauero legas αὐτοῖς, ut consensus cum magistratibus indicetur, sive αὐτῷ cum ceteris, ut ipsius Hermocratis suspicio significetur, ταῦτα ἃ non sunt moris Thucydidei, et ταῦτα abjiciendum foret. At quoquo vertas te, verba ista impediunt periodi cursum et sensum. Debentur manui alicujus interpretis censentis iis quae antecedunt ipsius Hermocratis opinionem de re contineri. Expelle verba. λέγων—ἐδόκει, et omnia recte procedunt. Hermocrates monet, ne magistratus patiantur Athenienses abire atque viam indicat, qua iter eorum impediatur. Alia interpolatio deformat locum vicinum § 2. ἀσμένους ἀπὸ ναυμαχίας μεγάλης.

(86) Thuc. VII, 73, 3. καὶ οὐκέτι ἔπειθεν αὐτοὺς ὁ Ἑρμοκράτης. Vulgo legebatur οὐκ pro οὐκέτι. Apte monet Doct. v. Herwerden (Exercit. Critic. p. 158) par-

sine negotio difficillima regionis loca nocte superarent, e sodalibus suis aliquot misit, qui ad castra Atheniensium, primis se intendentibus tenebris, adequitarent. Qui eo usque donec axaudiri possent evecti, evocatis quibusdam, quasi amici Atheniensibus Niciae nuntiari jusserunt, caveret nocte abduceret exercitum, vias insedisse Syracusanos; caeterum interdiu spatio sumpto abscederet ([87]).

Athenienses autem fraudem abesse rati illam noctem remanserunt. Quod Hermocratis consilium quid mali intulerit Atheniensibus, sequentia a Thucydide admirabilem in modum narrata, probe nos docent.

Quominus autem quis hanc ob causam Hermocratem crudelitatis incuset, prohibet amor in patriam, quo eum perdere hostes, qui auxilii ferendi specie revera tamen Siciliae totius subigendae consilio venissent, fas erat. Hostibus vero prope ad internecionem interfectis ac patria metu liberata, virum modeste victoria utentem non admirari non possumus.

Reliquiis enim Atheniensium copiarum captis, concio habita est Syracusis ubi de captivis decerneretur. Diocles quidam ([88]), *τῶν δημαγωγῶν εὐδοξότατος*, sententiam tulit, Atheniensium praefectos verberibus necatos capitali supplicio afficiendos, reliquam vero captivorum turbam in lapicidinas detrudendam. Quod decretum quum recitatum esset, Hermocrates in concionem progessus *ἐνεχείρει λέγειν ὡς κάλλιόν ἐστι τοῦ νικᾶν τὴν νίκην ἐνεγκεῖν ἀνθρωπίνως*.

---

ticulam *ἔτι* dittographia natam esse ex duabus primis literis vocabuli sequentis, adeoque legendum esse *καὶ οὐκ ἔπειθεν*. Inspice locum et fieri nequit, quin assentiaris.

([87]) Diodor. Sic. XIII, 18. Plut. Nic. 26.

([88]) Diodor. Sic. XIII, 19. Vid. etiam Plut. Nic. 28.

At Syracusani, bello Atheniensium exstincto, Lacedaemonios periculorum socios, quorum dux Gylippus fuerat, spoliis eo bello captis remunerati una cum illis quinque et triginta triremes in subsidium belli contra Athenienses succepti miserunt, quibus copiis navalibus praefuit Hermocrates ὁ πρωτεύων τῶν πολιτῶν. (89)

Anno 412 Athenienses, Milesiis bello illato, urbem oppugnare coeperunt, atque initio sub urbis moenibus fuerunt superiores. Ipso vero praelii die nuntiatum est copias ingentes navales Lacedaemoniorum ac Syracusanorum adesse. In quarum navium numero erant viginti Syracusanorum, quae ut sociis subsidio mitterentur contra Athenienses effecerat Hermocrates, quo conficeret Athenienses, Ἑρμοκράτους τοῦ Συρακοσίου μάλιστα ἐνάγοντος ξυνεπιλαβέσθαι τῆς ὑπολοίπου Ἀθηναίων καταλύσεως, ut ait Thucydides (90).

Accidit ut ab Atheniensibus clade in Siculorum bello affectis permulti socii desciscerent, quibus Lacedaemoniorum et Syracusanorum naves fuerunt auxilio. Persarum autem rebus quum faverent Lacedaemonii eorumque socii his opem tulerunt in opprimendo Amorge Cariae praefecto, qui a Persarum rege desciverat, qua in expeditione Syracusani optime de Persis sunt meriti (91).

Quae omnia quum in Tissaphernis satrapae commodum fierent, stipendium militibus a Persis solvebatur. Tissaphernes vero, sive satra-

---

(89) Diodor. Sic. XIII, 34.

(90) Thuc. VIII, 26, 1. Conjunctio καὶ inter ξυνεπιλαβέσθαι et τῆς posita melius absit.

(91) Thuc. VIII, 28, 2. καὶ μάλιστα ἐν τῷ ἔργῳ οἱ Συρακόσιοι ἐπῃνέθησαν.

pis omnibus insita avaritia, sive instigante Alcibiade (92), quum promissis non staret, sociorum navium praefectis muneribus persuadere conabatur, ut stipendium minui paterentur. Hermocrates unus ex omnibus sociis veri justique amans ne id fieret restitit (93).

Anno 411 Astyocho Lacedaemoniorum praefecto ac Tissapherne, cui Miletus a Persarum rege donata erat, acie decernere cunctantibus, navales Peloponnesiorum milites aegre tulerunt se ab his prodi. Syracusani, inprimisque dux eorum Hermocrates, *οὐ χρῆναι ἔφασαν μέλλειν ἔτι ἀλλὰ διαναυμαχεῖν. καὶ μάλιστα οἱ Συρακόσιοι ἐνῆγον.* (94)

Imperium ab Astyocho inviso traditum Mindarus accepit. Cum Astyocho redeunti Tissaphernes legatum ex suis quemdam misit, qui et Milesios accusaret, et simul pro ipso responderet, haud dubius, Milesios et sui criminandi causa potissimum Lacedaemonem profecturos, et cum iis Hermocratem delaturum, quod ipse cum Alcibiade rebus Peloponnesiis noceret, fideique esset ambiguae (95). Semper enim erat ei simultas cum Hermocrate ob stipendium, de quo supra vidimus.

Quo tempore haec acciderunt, Hermocrates patria expulsus est. Syracusani, Atheniensium exercitu ad internecionem deleto, non ita victoria usi sunt, ut patriae vere amantes ea uti decet. Iis enim foris hostium rebus nocentibus, domi factiones populi animos distinebant. Eo furor plebis processit, ut metuendum esset, ne tyrannis oreretur.

---

(92) Thuc. VIII, 45, 3.

(93) Thuc. VIII, 29, 2.

(94) Thuc. VIII, 78.

(95) Thuc. VIII, 85.

Unus desiderabatur Hermocrates, qui hoc ne fieret resisteret. Tum enim abfuit in Asia. Unde ne Syracusas rediret, adnitentibus plebis patronis, patria imperioque exutus est (96).

Hoc ubi audivit Pharnabazus, ad quem Peloponnesiorum classiarii pertaesi ambiguae fidei Tissaphernis concesserant, omni modo Hermocratem consolatus adjuvit.

Cujus opibus auctus, quinque navibus instructis ac mille militibus conductis, Syracusas redire conatus est.

Qua quum spe falsus esset, exercitu sex milium hominum comparato, concessit Selinuntem. Multis excursionibus in urbes Carthaginiensium dicioni subjectas factis, rerum gestarum laude apud Siculos inclaruit. In ipsa Syracusarum urbe quum auctoritate crevisset, sperabat fore ut cives meritorum memores ipsum revocarent. Syracusanos enim poenae irrogatae poenitere haud ignorabat Hermocrates (97). Diocles vero semper ei adversatus omni ope nitebatur ne ei redire liceret. Quamquam post aliquod tempus Diocles exsilio multatus est, Hermocrates tamen non revocatus est.

Audaciam enim viri suspectam habebant cives, ne, siquando magistratum adeptus foret, regnum occuparet. Mox vero ab amicorum factione accitus cum tribus armatorum milibus ad portam in Achradina progressus, per vim urbem intravit. Secundum Polybium Hermocrates interfuit proelio apud Aegospotamos. Quod si verum est, aliquanto

---

(96) Xenoph. Hist. Gr. I, 27—31. Operae pretium est cognoscere Xenophontis judicium de Hermocrate, qui ab illo dicitur fuisse *λέγειν τε δοκῶν καὶ βουλεύειν τὰ κράτιστα*.

(97) Diodor. Sic. XIII, 63.

post diem obiit quam tradit Diodorus Siculus (Lib XIII, 75) eum ab adversariis Syracusis in foro anno 408 interfectum esse perhibens. In re dubia major fides habenda mihi videtur Timaeo — nam Polybium hunc sequi suspicor — quam Diodoro Siculo, qui saepe errat in rationibus suis chronologicis ([98]).

Thucydides, Xenophon, Timaeus, Polybius, Diodorus Siculus Hermocratem virum patriae amantissimum pro ejusque salute pericula subeuntem adeo laudibus cumularunt, ut dignus videretur in cujus vitam ulterius inquireremus.

([98]) De Hermocrate Pharnabazum comitante nec non de controversia utrum Hermocrates interfuerit praelio apud Aegospotamos vid. Grote Hist. of Gr. vol. X, Ch. 81, p. 419, n. 3. Dionysius Syracusarum tyranus filiam Hermocratis duxit uxorem (Diodor. Sic. III, 96). An Hermocrates, cujus mentio fit in Platonis Timaeo et Critia, sit idem ac ille de quo egimus, videant alii.

